EMINENTISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI

CÆSARI
CARDINALI D'ESTRÉES

Regiorum Ordinum Commendatori.

ODE.

MAJORES alii tuos
A prima referent, Cæſar, origine:
Narrabuntque quot hoſticis
Claravere duces exuviis domum.
Dicent Principis ut comes
Sancti Rollo, acies fregerit haud ſemel
Ferro barbaricas, novum
Cùm Carthago vetus pertimuit jugum.
Ut Franci Jovis armiger
Janus, certa manu fulmina moliens,

Rollo d'Eſtrées Franciæ Mareſchallus, S. Ludovicum ſequutus in expeditione Tunetana.

* Joannes d'Eſtrées Rei Tor-

mentariæ Præfectus obsidioni Calesii interfuit.

Anglos cum tonitru gravi
Versis obruerit Calesii arcibus.

Annibal d'Estrées Dux & Par Franciæ, idemque Mareschallus, Vallem Telinam ab Hispanis occupatã liberavit.

Cui non cognitus Annibal?
Factis fortibus & Martis adoreâ
Pœno par, melior fide,
Et pacta indocilis rumpere fœdera.
Ejus nunc quoque liberis
Nomen jactat ovans Rhætia Vallibus.
Agnoscitque Athesis suum,
Grato lene strepens murmure, vindicem.
Et te magnanimo Patri,
Ceu Fratres geminos, bellica laus fuit
Æquatura: sed artibus
Majorem placidis quærere gloriam
Suasit Relligio, sibi
Immortale parans præsidium & decus.
Atque immensa mihi seges
Hinc laudum exoritur; Lesbia quis parem
Vix cantum inveniat lyra.
Nolis grande Pedum scilicet, aut Mitram
Vincentem diademata,
Nec fulgens Latio murice Pileum,
Aptari rudibus modis;
Nec fœdus Bavarum, nec bene prospero
Junctas conjugio faces:
Triplex unde beat Borboniden nepos.
Fallor? Per vacuum æthera
Ad ripas Tiberis me Deus abstulit?
Tarpeii veteres Jovis

Sedes aſpicio, templaque laureis
Inſignita ducum, & Petri
Ædem ſidereis arcibus æmulam.
Cuſtos Orbis & arbiter,
Soloque inferior, cujus obit vices
Perſonamque gerit, Deo;
Hîc dictat populis jura fidelibus.
Adſtant purpurei Patres,
Florens Concilium: quos avidis tenet
Captos Eſtreus auribus:
Blandâ non ſine vi quò libuit trahens.
Seu Chriſti gregibus lupos;
Moliri inſidias voce monet gravi;
Hortaturque licentiam
Et morum maculas tollere legibus.
Seu defendere Galliæ
Audet jura ſuæ, fortis; & hoſtium
Nil ſævas metuens minas
Sacris conciliat Lilia Clavibus.
At tu Semideûm parens
Felix, Roma, novum reſpice Cæſarem.
Civis hic etiam tuus,
Mundi dignus erat qui regeret caput.

JOANNES COMMIRIUS S. J.